

Jaspis'!  
Commentarium  
De Florentino.





COMMENTATIVNCVLA  
DE  
**FLORENTINO**  
EIVS QVE  
**ELEGANTI DOCTRINA**  
AD LEG. III. D. DE IVSTIT. ET IVRE

Q V A M  
VIRO ILLVSTRI, MAGNIFICO, EXCELLEN.  
TISSIMO CONSULTISSIMO QVE  
**DOMINO**  
**ANDREAE FLORENTI**  
**RIVINO,**

PHILOS. ET I. V. DOCT. CELEBERRIMO,  
POTENTISS. REG. POLON. AC PRINCIP. ELECT. SAXON. CONSILIARIO  
AVLICO SPLENDIDISSIMO, DIGEST. VETER. PROFESSORI PUBLICC ORDINARIO,  
CVRAE PROVINC. CONSISTOR. ECCLES. ITEMQVE SCABINATVS ET  
ORD. IVR. VITEMBERGENS. ASSESSORI GRAVISSIMO,

H. T.  
ILLVSTRIS ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**RECTORI MAGNIFICO,**  
MAECENATI SVO PIE DEVENERANDO,

Q V V M  
**ACADEMIAE FASCES**  
IN AEDE SACRA DIE XVIII. OCTOBR. A. R. S. c13 15 CCLII SOLEMNI  
RITV AC POMPA DEPONERET,  
AD DEVINCTISSIMAE MENTIS OBSERVANTIAM TESTIFICANDAM  
DEMISSE OFFERT  
CLIENS DEVOTISSIMVS,  
**CHRISTIANVS GODOFREDVS IASPIS,**  
ADVOCAT. IMMATRICVLAT.  
CHEMMICII, LITTERIS STOESSELIANIS.

6. 7. 06.

185.





ultum semper veterum, ex quorum responsis Digesta conflata sunt, Iureconsultorum valuit auctoritas; quippe iuris civilis summo in honore fuit cognitio atque interpretatio, a) er bene intelligebant Romani, ius stare non posse, nisi sint

Iurisperiti, per quos quotidie possit in melius produci; b) ideoque dominus noster Iustinianus tantam antiquitati habuit reverentiam, ut nomina Prudentium taciturnitati tradere nullo passus sit modo; c) Et digni omnino vereres d) isti habentur Iureconsulti, qui maximo honore summisque ornentur laudibus et quorum memoria posteritati asserueretur. Siquidem scriptis, quorum reliquias merito auro argentoque cariores habemus, nomen nunquam intermoriturum sibi adsciverunt. Ex his enim, eos non modo iusti ac iniusti scientia, sed omni liberalioris doctrinae genere, rei nempe medicae, institoriae, rusticae, vestiariae et nauticae peritia, egregie auctos fuisse ornatosque, abunde constat; immo studium rerum diuinarum ac humana-

A 2

rum,

a) teste Cicerone in L. 2. Officior.

b) L. 2. §. 13. ff. de O. I.

c) Sunt verba praefat. de Confirmat. Digestor. ad senat. §. 10.

d) Sic nominantur prisci aevi ICti in L. 3. §. 19. ff. de A. vel A. P. L. 1. §. 9. et L. 31. ff. ad L. F.

rum, quas inuestigare, suasore Laſtantio, e) praeclarum existimabant, ipsos eo allexit, vt fines iuris ciuilis scientiae, quam infinitam credebant, f) ampliantes Philosophorum circulos turbarent, sibique Sapientum nomen, Philosophis alias proprium, tanquam ciuilis Sapientiae g) cultoribus arroganter parum sumerent, h) quapropter saepe a Philosophis ad finium regundorum Iudicium prouocatum et Iureconsultis statu quoactio mota fuit. i) Sed multum omnino incrementi ex hoc aemulationis studio, cum Iureconsulti non simulant, sed veram Philosophiam, quae, Cicerone iudice, k) Legum iuentrix est, affectarent, l) Romana cepit Iurisprudentia, quam sapientes issi ICti mirum in modum locuplerant, eamque egregie illustrarunt. Et id est, quod veteres hi ICti Iuris Conditores m) eiusque Auctores n) passim in Legibus appellantur; quippe scripta eorum omnis publici priuatique Iuris sunt fontes, o) er nemo sane ad masculam istam, quae iusti ac iniusti scientia est, p) Iurisprudentiam assurget, nisi ista diurna verter manu nocturnaque, eaque factis quibus obuenientibus rite applicare discat. Quod si quis hanc deferas, aliter eueniire non potest, quam ut Leges, quas q) memoria teneret, vel plane non intelligat, vel cruda studia, ut Cicero loquitur, r) in forum propellat, ideoque non verus ICtus, sed Legulcius aut Rabula

equa-

e) in L. r, diuin. Inst. de falsa Rel. Cap. I.

f) L. 2, §. g, C. de V. I. E.

g) L. I. §. 4. ff. de ext. Cognit.

h) L. 2, §. 37. ff. de O. I. et Gell. Noct. Attic. L. IV. C. r.

i) vide lis de hac inter ICtos et Philosophos agitata controvferia illustris Academiae Vitembergenſis Anteceſforis, ANDR. FLOR. RIVINI, perquam eruditæ ac eleganter conscriptam Prolufionem: De Finibus Iuris Naturalis atque Ciuilis, Vitemb. 1740.

k) in quoactio. Tuscul. L. V. C. 2.

l) L. 1, §. 1. ff. de I. et I.

m) in L. 17. ff. de I. P. L. 120. de V. S. et L. 25. C. de Nupt.

n) in L. 32. ff. de Vfur. et L. 3. C. de Repud.

o) Sic pariter, ac Leges XII. Tab. a Liui L. III. C. 34. appellari merentur.

p) L. 10, §. 2. ff. de I. et I.

q) Cicero L. I. de Or. C. 35.

r) ibid.

EIVSQUE ELEGANTI DOCTRINA.

V

euadat. Hoc autem euitabit, qui ipsas, quas vetustas nobis reliquit, leges, earumque vim ac potestatem, s) non solum verba, penitus per- spicere studeat. Dulcius quippe ex ipso fonte bibuntur aquae; ideoque hauc male nos operam collocatuos arbitramur, si praelantissimi e veterum Iurisperitorum agmine ICtri elegantissimae, quam L. III. D. de Iustit. et Iure proponit, sententiae enucleandae, cique, quantum id patitur institui ratio, illustranda, paulo immoremur. Author eius habetur FLORENTINVS, t) cuius post fata adhuc floret me- moria, quemque ob singularem, qua Scripta eius se commendant, doctrinam, multis maximisque nominibus laudandum duco. Ante- quam autem ipsam Legem interpretandam aggrediamur, generatim quedam de vita ac doctrina Florentini praemittere, ab instituto no- stro hauc erit alienum.

De patria Florentini, eiusque praenomine nil certi constat; u) cum autem post D. Pi tempora vixisse, dubio carere videtur, cum ipse dicti Pi constitutionum mentionem faciat. w) Floruit Flo- rentinus noster sub Alexandro Seuero, teste Lampridio, x) qui cum inter Alexandri Confiliarios ac familiares resert, cui hac in parte eo minus fidem habere dubitamus, cum Rescriptum quoddam, Im- peratoris Alexandri ad Florentinum, qui idem esse videtur, y) in Codice nostro reperiatur. z) Ex his Florentinum ultimae actanis, ideoque Vlpiano et Paullo posteriorem esse, merito suspicamur.

A 3

Docuit

s) L. 17. ff. de LL.

t) Dum haec prelo subiicere euro, fortuito mihi obtuonit Oratio Aditialis de Iurisprudentia Compendaria ab Excellentiss. iam laudato ICto RI- VINO Vitenbergae, d. XX. Itin. cl> Is cext. dicta, quam lectu dignissimam diu desiderau, in eaque p. XX. sub cc) Dissert. de Florentini Iu- rispr. testament, reliquis citatam deprehendi, quam perlustrasse opta- rem, cum selectiora quaedam, themati nostro affinia, ibidem reperi et ab- que dubio crederem, ideoque nos eo remittimus.

u) confer. Grot. in Vit. ICtor. p. 193.

w) in L. 16. ff. de A. R. D.

x) in Cap. vlt. vit. Alexandr.

y) vid. Cl. Heineccii Histor. Iur. C. IV. §. 347.

z) L. 8. C. de inoff. test.

Docuit Florentinum nostrum Iurisscientiam ICtus Summe Venerabilis, Papinianus, a) insigne Iurisprudentiae Romanae decus, cuius vestigia strenue secutum Ecclasticis, b) quales postremi aevi ICtri fuerunt, suum nomen dedisse, dubium haut est. Ita vero in tanti ICtri Schola profecit Florentinus, ut in omni litterarum genere, et Grammatices et Critices arte fuerit versatissimus, id quod ex variis ab eodem conscriptis Legibus c) facile est intelligere. Apprime coluit Philosophiae studium, in quo tractando more aliorum eiusdem saeculi ICtorum Praecepta Stoicorum, quorum secta tunc maxime florebat, secutus est, prout ex Leg. IV. D. de Stat. Hom. in qua libertatem secundum ideam Stoicorum, quibus ea duplex, una absoluta, altera restrictiva erat, d) definiti, fatis constat.

Scriptis Florentinus noster Institutionum e) Libros XII. stylo haut incomto. Alii quidem, cum quibus faciunt Viri alias acutissimi, Guil. Grotius et Cornel. van Eck, quos sequitur Scriptor Iuris Historiae Clarissimus, Struuius, cum XI. Libros tantum composuisse volunt; sed iis assentiri merito dubitamus, cum Index ICtorum eorumque librorum, ex quibus compositum est ff. opus Florentino exemplari praefixus, ut et Aymarus Rivalius, g) Scriptor antiquissimus simulque fide dignissimus, Florentinum Libros XII. Institutionum scripsi.

- a) Testes sunt: Lamprid. vit. Alexandr. Seueri C. LXVIII. et, qui hunc sequitur, Georg. Eberlin, de Or. Iur. p. 538.
- b) de his eorumque docendi methodo Cl. Euerard. Otto in Orat. de Philosophia ICtorum Stoica et Illustr. Maifcov, in disquisit. de Hercisfundis, Diatribae, de Sectis Sabinianorum et Proculianorum inserta, aliisque suis egerunt.
- c) vid. L. 4. ff. de St. H. L. t. et 3. de Sponsal. L. 42, de R. et S. F. L. 209. et 211. de V.S. etc.
- d) Solide hanc Stoicorum de libertate doctrina exponit Caspar Scioppius in element. philosoph. Stoicae moral. cap. 130.
- e) Rationem institutionum Iuris conscribendarum tradit Lactantius Lib. I. Infir. diu, C. 1. ut nempe illis ciuium dissidentium lites contentionesque sopirentur, quem illustrat Celeberr. Brunquell. in Histor. Iur. P. II. Cap. IIX, §. 3.
- f) pag. 158.
- g) in Histor. Iur. Civil. L. V. p. 282.

scripsisse, testentur, quorum testimonii, omni exceptione maioribus, prae aliis stare mallemus; nihil plane vero ex hoc XII. vt et II. IV. et V. libro ad nostram peruenit actatem, quo insigni defectu forsan factum est, vt, hunc ultimum librum nunquam extitisse, crediderint. Praeter hos Institutionum Libros Florentinum nil scriptum reliquisse certi sumus. Grotius h) quidem putat, cum ad Caium quoque quae-  
dam notasse, multaque excerptisse; sed variae nos dimouentrationes, quo minus huic sententiae subscriptere possimus; habemus quidem quasdam Leges, i) quae illi patrocinari, eamque probabilem reddere videntur, cum haec ex Florentini Libris defunctae Leges cum praecedentibus, quarum auctor Caius est, ita cohaerent, vt uno quasi halitu legi possint; licet autem id largiamur, tamen exinde haut sequitur, Florentinum istas ad Caii Libros notasse; quippe Compilatores Digestorum has ex Institutionibus Florentini descriptas Leges Caii Legibus ideo, vt eas illustrarent, idque, quod Caio decesser, supplerent, apposuitisse, admodum probabile nobis. viderur. Nullum insuper aliud excerptum, quod ex Florentini notis ad Caium defundum est, in Iuris nostri Corpore reperitur, nec in ICtorum indice Florentino, qui oraculi instar hac in re habendas, de Florentini ad Caium, ex Grotii sententia, excerptis, vlla sit mentio. His itaque moti ratione-  
num neque quaedam ad Caium notasse, neque excerptisse, certo certius credimus. Nam si Grotii coniecturam admitteremus, eadem ratione asserendum fore, Florentinum nostrum ad Vlpianum quoque quasdam notas scripsisse, cum quaedam Florentini Lex k) Vlpiani Legibus aequa subiuncta, et cum iis quam arctissime connexa sit, id quod tamen serio affirmare nemo vñquam ausit.

Sed nec eff, quod ab excellentissimo Florentini ingenio plura desideremus; siquidem id nobis fecit iam satis, absolutissimum Institutionum opus, quod diuinæ artis nostræ substantiam continet, conscribendo, ex quo ICtum nostrum in Iurisprudentiac civilis studio

exc-

h) in Vit. ICtor. L. II. C. 12. p. 193.

i) L. 2. 4. et 6. ff. de A. R. D.

k) L. 3. ff. de Sponfali.

excolendo plurimum operae collocasse, multumque laborasse, oppido  
apparet. Et dignae sunt sane omnes e Florentini Libris excerptae  
Leges, quae legantur ac relegantur, et quarum singula fere verba  
ponderentur. Quantum enim ad interiorem Iuris Romani cognitio-  
nem earum notitia conferat, omnes iusti rerum arbitri bene animad-  
uerunt; Has autem singulas, ut operae pretium esset, exponere, ea-  
rumque vim enucleare, nimis sane longum foret, ideoque vnam fal-  
tem Legem nempe III. D. de Iustit. et Iure, quae, Grotio Iudice, 1)  
sententiam maxime laudandam proponit, accuratius paullo, prout id  
Instituti nostri fert ratio, considerare eamque illustrare in praesenti  
sufficiat.

Desumta est Lex haec elegantissima e Libro I. Florentini Insti-  
tutionum, eiusque verba ita se habent: *Vt vim, atque iniuriam propul-  
semus. Nam iure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui  
fecerit, iure fecisse existimet: et, cum inter nos cognitionem quandam  
naturae constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.*  
Spectant verba initialia huius Legis ad praecedentem Legem I. in  
qua Vlpianus Iuris Gentium, quod solis hominibus inter se commu-  
ne sit, definitionem tradidit, eiusque discepientiam a Iure Naturali  
ex mente Stoicorum, quorum doctrinam ICti hac in re sequuntur,  
demonstravit; ad hanc itaque Vlpiani sententiam congruo exemplo  
illustrandam, haec Florentini nostri Lex subiungitur; et quidem re-  
ete, cum omnino, ut vim atque iniuriam propulsemus, Iure Gentium  
edoceamus. Sed haut pauci idecirco Florentino controversiam mo-  
uerunt, eumque ideo, cum id, quod ex Iuris naturalis principiis de-  
riuandum foret, Iuri gentium male adscriperit, censoria virgula no-  
randum esse, praeccipanter parum iudicarunt. Fuerunt quidem, qui  
Florentinum nostrum ab hoc, ut putant, errore liberare tentarent;  
sed successu minus felici. Optime autem pugnam hanc decidisse et  
Florentini caussam defendisse videtur Interpres Iuris Romani Claris-  
simus, Cornel. van Bynckershoek, m) qui veteres Interpretres secu-  
tus est.

1) in Vit. ICtor. L. II. C. 12. p. 194.

m) in Obseruat. Iur. Roman. L. V. C. 2.

tus vim atque iniuriam pro vi iniusta ex figura quadam Rhetorices accepit et hinc ICtum nostrum hac in Lege de vi iniusta illata egisse putat; cui assensum nostrum hac in parte denegare haut possumus; et quidem eo minus, cum, eundem Florentinum alia in lege n) simili locutione vnum esse, deprehendamus. Atque sic haec iniuriae propulsatio summa ratione a ICto ad Ius gentium refertur. Ius quippe naturale, cuius, tanquam omnibus animalibus communis, o) consiliatrix ipsa natura est, p) vitae quidem conseruationi studere, et quamcunque vim, siue iusto, siue iniusto modo, ea nobis inferatur, propellere, idque, quod nobis nocuum est, auertere praecepsit; Ius autem gentium, de quo Florentinus agit, et cuius dux sana est ratio, vim iniustum solum reprimere permittit. Et sic idem Gentium Ius eam vim, quae cogente necessitate, vel publica suadente utilitate, nobis infertur, quamque Magistratus in coereendis inferioribus adhibere cogitur, repellere eique resistere, neutiquam patitur, cum vis tali modo adhibita minime iniusta dicenda sit, et is, qui imperio Magistratus non parer, dolo carere haut possit. q) Facile quoque, si hoc liceret, occasio maioris tumultus faciendi inde emergeret. r) Sed hoc in casu, si nempe Iudicis auxilio destituamur, nobisque vis iniusta inferratur, nil, neque Ius quoddam prohibet, quo minus Ius nostrum ipsi persequi, idque, quod vitae et sanitati nostrae imminet, periculum, quoquo modo auertere queamus. Ita omnes, Philosophi pariter ac ICti, uno animo sentiunt, et id est, quod canit Ouidius: s)

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,

Armaque in armatos sumere Iura finunt.

Ac quidem recte. Aduersus periculum enim se defendere, naturalis ratio permittit t) et vim vi defendere, omnes Leges, omniaque Iura permittunt; u) ideoque salua manet Florentini nostri sententia, quod nempe *Iure hoc, i. e. Gentium, eueniat, vt, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur; et, vterius pergit ICtus, cum inter nos cognitionem quandam Natura constituit, consequens est, hominem homini infidiari nefas esse.* Per hanc cognitionem ICtus noster eam necessitatem moralem, quam recentiores Philosophi socialitatem appell-

n) L. 65. ff. Pr. de V. O.

o) L. I. §. 4. ff. de I. et I.

p) Laßant, Diuin, Instit. L. I. C. 17.

q) L. 199. ff. de R. I.

r) L. 176. ff. de R. I.

s) L. III. de Arte.

t) L. 4. ff. ad L. A.

u) L. 45. §. 4. ff. eod.

B

appellare amant, intelligere viderur, vi cuius homines necesse habent, ut singuli arctiorem quandam societatem inter se inuicem colant, mutuisque praefestationibus alter alterius felicitatem, aequa ac suam, promouere curerit; siquidem ab ista in morali hominis natura, quae ipsa socialis est eoque solo cognationem cum Deo habet, w) radicata cognatione felicitas singulorum hominum, immo totius generis humani, vnicc dependet. Hac igitur rupta, quod accidit, si alter alteri insidiari, i. e. nocere, prout vox insidiari in L. 1. ff. §. 23. de Collat. bonor. accipitur, x) veller, maximam certe humana felicitas patetur iacturam, ideoque belle ac sapienter ait noster Ictus: *Hominem homini insidiari nefas esse.*

Amplissima Florentini mentem vberius explanandi in eiusque laudes excurrendi supereffet copia, ni, id argumentum pluribus persequi, instituti ratio prohiberet. Sed iam satis est. Nec Florentini laudes longius enumerare quicquam referret, cum ipse omni laude maior sit; et liquet iam satis, eum fama ac doctrinac praestantia nemini veterum Iuris Auctorum vnuquam cessisse, paucosque pares habuisse; quo is saeculum suum ita celebravit, ut eius felicitas inuidenda certe forerit, ni et nostra tempora haberent, quod de Viris Fama ac meritis aequa florentibus sibi gratularentur. Habet celebre Florentini nomen in se felix quoddam omen, ex quo diuinae Iuris nostri arti vberrima quaevus incrementa augurari licet. Testatur id satis florentissima Illustrium RIVINORVM profapia, cui Florentum nomen gentilitem est et quasi proprium, et ex qua tanti Viri prodierunt, qui doctrina ac meritis mirifice claraverunt. Prostant documenta publicis typis expresa, quae verbis meis, ne blandiri videar, satis fidei addunt; Et quis est, qui nesciat, nam et exteri norunt, quam egregie nostrarum Academiarum decora, par istud RIVINORVM venerabile, saeculum nostrum et litterarum orbem illustrerent? Celebrata iam sunt ad immortalitatem usque Reuerendi Rituinianae Stirpis Senis eximia merita, qui patriae ac litterarum bono inferuendo aetatem consumfuit, et cuius nomen posteritati aequa, ac nobis, sacrum erit et venerabile; et sane florentissimi Rituiniani nominis laudes semper manebunt, quippe aetas nostra Viros illustri hac gente prognatos, et genere et meritis nobilitatos vidit, qui gloriam a maiori-

ribus

w) Laetant. diuin. Instit. L. V. C. 17.

x) Confer. Cl. van Byncckershoek Obsernat. Iur. Roman. L. V. C. 2.

ribus adeptam honorifice satis tuentur. Gloriantur hoc solemnii die Leucoreae Musac de Florentino in TE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, ipsis reddito, TIBIque soleinne istud FELICITER! pleno eoque lacrabundo ore manusque applaudentibus acclamantes deuotissimae mentis cultum testificari certatim contendunt. Sollicitantur quidem haut parum, cum TE, VIR ILLVSTRIS, quem Musarum Patronum Auctoremque venerantur, academicici Principatus insignia redditurum videant; sed eriguntur animi, quum TE curas, quibus haetenus academicis rebus profuisti, haut simul depositurum, sed eam, quam promptissimam semper amplissimamque experti sunt, benevolentiam constanter seruaturum, sperent non solum, sed prorsus confidant. Multum insuper spei in VIRI MAGNIFICI AC EXPERIENTISSIMI, Fascibus Academiae gerendis maxime paris, eximia, qua Musas complecti solet, benevolentia collocant, sub eiusque in principalem Academiae dignitatem TIBI successuri auspiciis et Academiac et communni litterarum bono amplissima incrementa pro certo sibi spondent ac pollicentur.

Augurantur inde et gratulantur, qui Reipublicae litterariae bonum curant, statum rerum academicarum quam felicissimum, immo singuli Almae Leucoreae ciues impense gaudent ac mirifice laetantur; Excitauit iam gaudia eorum et cultum hesterni diei celebritas, qui felicissimo omne TVO, illustri FLORENTINI nomini, in fastis sacer habetur, et cui multum splendoris addunt hodierna solemnia, quae Musas, splendidissimi Nominis TVI pios cultores, ut obseruantiae specimen TIBI exhibent, vindique aduocant. Sed nesciunt sane Tui, qua ratione insignem TVAM, VIR EXCELLENTISSIME, benevolentiam, vt par est, demereri, TVASque incomparabiles laudes digne satis celebrare queant; his enim enarrandis, ne dicam exornandis, omnis plane impar est oratio. Quid autem prodest verborum copia? Diu iam Illustris TVI Nominis fama in exteris penetrauit regiones, quibus apud Belgas in Clarissimorum, quos aetas vñquam vidit, ICtorum Scholis maxima cum celebitate versatus eximiam TVAE doctrinæ præstantiam ita probasti, vt cum ad patrios lares Themidis Lauream digne promeritus, reverentes, summam TVI admirationem et desiderium reliqueres. Quantum autem fororiarum Academicarum Musas TIBI, VIR INCOMPARABILIS, deuinxeris, oratione comprehendendi neutiquam sane potest. Tripudiant hodiernis solemnibus

Vd

18

bus Athenaei Leucorei ciues et praedicant egregia TVA de re litteraria merita; intelligunt quippe satis recte, immensas plane grates, immo se totos TIBI debere, VIR MAGNIFICE, qui, licet ob munera, quae ornas, Grauitatem diurno assiduoque magnarum rerum vnu occuperis, sic tamen Republicam litterariam gubernasti, ut in Academiae eiusque ciuium commodis consulendo totus fueris, ita, ut ex TVA, VIR GRAVISSIME, auctoritate seruata, immo subtilita fuerit Academiae salus et tranquillitas; ideoque se, iam diu TIBI obstretos, prorsus addicunt et res TVAS ad apicem summum felicitatis usque prosperrimas serio vouent ac precantr. Sed excitant meam quoque pietatem, quam TIBI, VIR ILLVSTRIS, significare officii partem duco. Toto iam tempore, ex quo Leucoreas Musas reliqui, cultus mei erga TE testificandi occasionem quae sui, et ingratus sane, ne dicam improbus, esse, si hanc in praesenti mihi oblatam negligere, nec laetis vlnis excipere vellem. Cepit me mirifice pri-  
fini temporis memoria, quo TE, fortunae studiorumque meorum adiutorem, coram venerari, TIBI que obseruantiam meam probare, ex voto mihi liceret. Statui me certe quam felicissimum, quoties uberrimo TWO colloquio, si non explore, ut recreare tamen ac reficere animum mihi optato contingenter; habui semper TVAM de rebus gerendis sententiam in Oraculi numero, immo id fere omne, qualunquecque hoc demum sit, quod in elegantioris Iurisscienciae studiis profeci, TIBI, FLORENTISSIONE RIVINE, debeo acceptumque referro. Accipe itaque grates, non quas mereris, sed quarum in praesenti est copia, idque, quod viribus meis deest, piis votis pensare licet. Obtestabor certe assiduis precibus Deum optimum, ut TVAM, VIR ILLVSTRIS, qua et patriae et litteris nil clarius, nihilque iucundius esse posset, salutem, sempiternam esse, TEque communis Republicae et Academiae bono quam diutissime florentem superesse iubeat. Quod si erit, TE FLORENTE et Academiae, et Clientum, quos devinctissimos habes, salus multum sane capiet incrementi, et, me quod attinet, illustre TVVM ac FLORENTISSIMAE GENTIS TVAE nomen, quoad vixero, colam diligentissime, ac in nulla vnuquam re deero, qua TIBI, VIR SVMME, me meaque studia commendare posse intelligam. Ita vale, PATRONE INCOMPARABILIS,  
et felicitati deuotissimi clientis vterius quam  
benignissime faue.



K8870

ULB Halle

007 654 014

3





B.I.G.



COMMENTATIVNCVLA  
DE  
FLORENTINO  
EIVSQUE  
ELEGANTI DOCTRINA  
AD LEG. III. D. DE IVSTIT. ET IVRE  
Q V A M  
VIRO ILLVSTRI, MAGNIFICO, EXCELLEN-  
TISSIMO CONSVLTISSIMO QVE  
DOMINO  
ANDREAE FLORENTI  
RIVINO,  
PHILOS. ET I. V. DOCT. CELEBERRIMO,  
POTENTISS. REG. POLON. AC PRINCIP. ELECT. SAXON. CONSILIARIO  
AVLICO SPLENDIDISSIMO, DIGEST. VETER. PROFESSORI PUBLICQ ORDINARIO,  
CVRAE PROVINC. CONSISTOR. ECCLES. ITEMQVE SCABINATVS ET  
ORD. IVR. VITEMBERGENS. ASSESSORI GRAVISSIMO,  
H. T.  
ILLVSTRIS ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
RECTORI MAGNIFICO,  
MAECENATI SVO PIE DEVENERANDO,  
Q V V M  
ACADEMIAE FASCES  
IN AEDE SACRA DIE XVIII. OCTOBR. A. R. S. cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup> CCLIII. SOLEMNI  
RITV AC POMPA DEPONERET,  
AD DEVINCTISSIMAE MENTIS OBSERVANTIAM TESTIFICANDAM  
DEMISSE OFFERT  
CLIENS DEVOTISSIMVS,  
CHRISTIANVS GODOFREDVS IASPIS,  
ADVOCAT. IMMATRICVLAT.  
CHEMMICII, LITTERIS STOESSELIANIS.

6. 7. 06.

185.